

vestium affectatam pompam ulcisceretur. Juxta deum in libro, quem de *Generatione*, seu *Vita Jesu Christi*, impudentissimis calumniis inferunt obtruserunt, venditant eam ignominie nota à patribus suis olim servatorem nostrum tractatum fuisse oblitio insuper nescio quo liquore vertice, ne scilicet comam unquam reparari contingeret. Tandem illud nobis silentio premeandum non est, eandem ignominie notam apud ceteras etiam gentes obtinuisse. Ita cum SS. Martyribus aliquando servatum; qui pariter interdum dimidio tantum rasi per contemptum producebantur. Gloriosos illos fidei assertores affatus S. Cyprianus: « Semi-  
« tonsi capitis, ait, conspectus horrescit; sed  
« cum sit viri caput Christus, qualecumque  
« illud caput deceat necesse est, quod ob Do-  
« mini nomen insigne est. » (Epist. 77 ad Ne-  
« mesianum). Pii S. Præsulis officis viri illi san-  
« ctissimi gratificati, responderunt, ipsum plen-  
« itiam christianam charitatem epistolis suis id  
« effecisse, ut *semitonsi capitis capillaturam ad-  
« quaret.*

SCINE ERANT HEBRÆIS CARNIFICES? — Ut  
dissertationem hanc nostram omnibus absol-  
vamus numeris, brevi agendum est de justitie  
administris apud Hebræos. Carnificum munus  
tanquam illiberale et ignominiosum, nunquam  
quantam scio in veteri Testamento notatur.  
Viri quos *Soterim* appellabant (Vide Comment.  
in Deut. 1, 15), quique judicibus dabantur  
administri, carnificum loco apud interpretes  
henè multos habentur. Assistent enim tribuna-  
libus, flagris, et bacillis armati; quemadmodum  
et de licitoribus romanos magistratus comitan-  
tibus, quo puniendis noxiis ubique præstò essent,  
memoria proditum legimus.

Sed munus illud *Soterim* adeò non vile nec  
illiberale apud Hebræos habebatur, ut potius  
in eorum ordine recenseri honorificum duce-  
rent. Sæpè qui illud explerent ex levitarum  
familia petiti sunt; edicenda illis dabantur  
edicta principum et magistratum, eorumque  
urgebant executionem; nomine et auctoritate  
principis dabant mandata, atque ut parerent  
pœnæ terrore cogebant.

Aliquando apud Hebræos potissimum exe-  
quende judicium sententiæ munus testibus  
ipsis committatur. Cautum est in lege, vi-  
rum sive feminam Israeliam ad idololatriam  
incitantem extra urbis portas raptari, quem  
deinde *manus testium prima interficiet et ma-  
nus reliqui populi extrema mittetur* (Deut. 17,  
5, 6). Ita servatum novimus cum S. Stephano,

cujus accusatores, positus apud Saulum, qui  
deinde Paulus, vestibus, paratos se injiciendis  
in virum sanctum lapidibus præbuerunt (Act.  
7, 57). Jesus Christus accusatores feminam  
adulteræ affatus, primum inter eos lapidem  
injicere in feminam jubet, qui nullius commissi  
crimini haberet conscientiam (Joan. 8, 7).  
Idem factum scimus in sumendo de blasphemio,  
atque de sabati violatore supplicio (Levit.  
24, 14; Num. 15, 35, 36); idem et in Achan,  
et Naboth, quos populus universus lapidibus  
confecit (Josue 7, 23, et 4 Reg. 21, 25). Si quis  
datà operà homicidium perpétrasset, hunc ne-  
cessarii viri defuncti permissum eorum arbi-  
trio occidendum, Moyses tradit (Num. 25, 19;  
Deut. 19, 12). Si vir uxorem tanquam ante  
nuptias corruptam per injuriam accusasset, in  
hunc ipsi seniorum urbis manibus animad-  
vertendum idem legislator edicit (Deut. 22, 18).  
In his sanè vestigiis nullum probri apparet,  
nihil etiam quod ingenuum et liberalem ho-  
minem non deceat.

In supplicio ignis inferendo, juxta rabbinos,  
ipsi suis manibus testes lineam fasciam collo-  
noxii circumvolutam trahabant, quò scilicet  
per ductum os liquatum plumbum in ventrem  
transmitteretur. Noxio etiam jugulando funem  
nemo stringebat alius nisi testis. Sub Josue  
militibus comissum fuisse creditur, ut quin-  
que reges Chanaanæos detruncarent, tum et in  
patibulo suspenderent (Josue 10, 26). Samuel  
alienum non duxit, si manus ipse violentas in-  
jiceret in Agag regem Amalecitarum, cui Saul  
antea pepercerat (1 Reg. 15, 33). Ipse Saul  
deterri sui virorum dignitate intelligens ne  
gravius aliquid in sacerdotes Domini auderent,  
Doeg Idumæum in illos incitavit (1 Reg. 22,  
18). Infames illos Isobethi paricidas occidi à  
suis, atque in patibulo suspendi David præcepit  
(2 Reg. 4, 12); quam etiam mortis pœnam  
inferri ab illis voluit in eum, qui de nece Sau-  
lis nuntium attulerat (2 Reg. 1, 45). Gabaonitæ  
non alio quidem administro usi sunt, dum  
posterò Saul coram Domino in crucem age-  
rent, acceptam ab eo principe injuriam insigni  
injuriâ rependentes (2 Reg. 21, 9). Banaias  
filius Joiada à rege Salomone jussu remotus  
Joabum ab asylo altaris, ab-tractumque ex  
regis præcepto gaudio confossurus venit (3  
Reg. 2, 18). Sub regibus Juda et Israel mili-  
tibus plerumque commissum, ut capitales sen-  
tentias executioni mandarent. Mathathias vir  
ille fortissimus Machabeorum pater, appre-  
hensum suâ manu virum Judeum in sacra

idolorum irruentem transfodit (1 Machab. 2,  
24, 25). S. Joannes Baptista carnificem exper-  
tus est regis Herodis spiculatorum (Marc. 6,  
27). Tandem Jesu Christo in crucem agendo  
romani milites manum admoverunt (Math. 27,  
27). Zelotæ, referente Josepho in postremâ  
urbis Jerosolymitanæ obsidione detentos in  
carcere Antipam et Sopnam, viros regali san-  
guine natos, capitali supplicio damnarunt, nu-  
meris executionem Joanni, viro inter suos  
primario (Joseph 1. 4 de Bell., cap. 5, latin. et  
11 græc.), una cum aliis decem committentes.

Neque victorum munus infame apud Romanos  
unquam habitum est: quanquam et alligare  
reum, et eedere noxios, detruncare, atque in  
patibulo suspendere capitali supplicio damna-  
tus ad illos pertineret. Hinc solennis illa formu-  
la: *I, lictor, colliga manus, caput obnubito, ar-  
tori infelici suspendio* (vide Gell. 1. 22, c. 3).

Apud Mahumetanos nostrâ etiam etate nulli  
sunt lictores, sed eorum vicibus funguntur mi-  
lites, sive judicium famuli, qui præaulæ foribus  
assistentes vix pronuntiatam à judice sententiam  
mandant executioni (vide P. Roger, Terre-Sainte,  
1. 2, c. 17, pag. 525). Non rara suppetant etiam  
exequende justitiæ militibus commisse in hi-  
storiâ romanâ exempla (1) quanquam apud illos  
nec lictores deerant, neque carnifices. De Clau-  
dio imperatore narrat Suetonius in Claud. c. 54:  
« Cum et spectare antiqui moris supplicium Ti-  
« buri concupisset, et deligatis ad palum noxiis  
« carnifex deesset, accitum ab urbe vesperam  
« usque operiri perseveravit. »

(1) Suet. in Callig. cap. 26: « Flagellavit,  
« veste detractâ subjectaque militum pedibus,  
« quò firmè verberatis insistere. » Idem, c.  
57: « Miles decollandi artifex quibuscumque è  
« custodia capita amputabat. »

## DE CONNUBIIS HEBRÆORUM

### Dissertatio.

De connubiis tractatio adeò latè porrigitur,  
ut unicâ dissertatione totam complecti nun-  
quam possemus. Quare nec ut jurisconsulti tan-  
quam civile aliquid pactum, nec ut theologi  
tanquam morale aliquid sive religionis opus  
Dei nominis invocatione sacrum respiciemus;  
at de solis nuptialibus ritibus disserendum erit  
nobis in præsentia, tum et de pactis sponsalitiis,  
in quæ omnia prisca recentisque mores quan-  
tum sat est, ut commentario in Canticum canti-  
corum serviant, percurrerimus.

Præcoccissima erant apud Hebræos connubia:  
virorum ætas à rabbinis præscribitur 18 anno-  
rum (Leo Moden. Carem. Jud. cap. 5), quam  
ætatem si quis cœlestis eegerit, ille criminis  
reus est, præceptum illud Dei ad primos homi-  
nes transgressus: *Crescite et multiplicamini*  
(Gen. 1, 28). Liberum tamen cœque ætatem  
illam prævenire. Quod ad puellas attinet, citis-  
simè quidem sponsalibus obligabantur; nuptiæ  
verò tantùm dilate quantum pubertatis, quam  
vocabant, ætatem, nempe duodecim annorum  
et unius quoque diei (Selden. Uxor. Hebr. 1. 2,  
cap. 5), non absolvissent. Hinc phrases illæ in

Scripturâ familiares: *Uxor pubertatis meæ* (1),  
quibus proeres in adolescentiâ nuptiæ designan-  
tantur, et illud: *Dux pubertatis* (2), quod de  
sponso usurpatum est.

Facilè hinc intelligimus cur virginitas appro-  
briò esset Israelitis, ut insignis præ omnibus  
proberi loco ducerent Hebræi, si domum patris  
sui inædificatam reliquisset, neque eorum no-  
men in Israel suscitasse sibi exprobrarunt.  
Hinc luctus filia Jephthæ, virginitatem suam non  
secus ac funus lugentis (Judic. 11, 57); diem  
enim suam virum claudere, nullo patri hæredè  
relicto. Hinc etiam Dei adversus Israelitas mi-  
næ apud Isaiam (3), futurum nempe prædicat,  
cum rari adeò in Israele viri occurrerent, ut  
septem feminæ uni singulari viro eleocarentur,  
contra receptum apud omnes gentes morem,  
nihil ab illo postulant: *Panem nostrum come-*

(1) *Joel. 1, 8*: Super virum pubertatis tue.  
Et *Malac. 2, 14*: Uxorem pubertatis tue.

(2) *Proverb. 2, 17*: Reliquit ducenti pubertatis sue.

(3) *Isai. 4, 1*: Vide et *Jerem. 31, 12*: Mulier circumdabit virum.

*demus et vestimentis nostris operiemur, tantummodo invocet nomen tuum super nos, aufer opprobrium nostrum: ac si diceret, id tantum volumus, ut uxores tue appellemur, et virginitatis à nobis opprobrium avertatur. Dilecta in Canticis cap. 8, 1, ita charum sibi virum affatur: Quis mihi det, ut inveniam te foris et desoculer te, et ducam in domum matris meae, et jam me nemo despiciat? i. e., quando, rogo, continget, ut ego uxor et mater facta, duplex à me sterilitatis et coelibatus opprobrium depellam? id enim designat sponsi in maternam sponse domum introductio.*

Cùm verò mulieres et maximè puellæ in claustris domus suæ ab omni externo commercio prohibite detinerentur; plerumque alicujus puellæ connubia petebantur antequam conjuges innox futuri se mutuò cognoscerent. Puella ante conjugium *alma* appellabatur, i. e., latens; et cùm Scriptura grande aliquid malum (2 Math. 5, 19, et 5 Mach.), vel novum quid totum ciens urbis populum exprimit, ipsas è claustris puellas accurrisse dicit: *Filia patris abscondita (in domo nempe patris) est; virginitas et sollicitudo ejus auferit somnum: ne forte in adolescentiâ suâ adulta efficiatur, et cum viro commorata odibilis fiat, ait Eccli. 42, 9. Et in Cantico 8, 8: Soror nostra pericula, et ubera non habet. Quid faciemus sorori nostræ in die quando alloquenda est? i. e., quando nuptiæ ipsius postulandæ, sive quando coram dilecto suo producenda; quemadmodum producta est Rebecca coram Eliezer Isaaci pronubo, nùm in eas nuptias consentiret, interroganda: Si murus est, addit Canticum, edificemus super eam propugnacula argentea; si ostium est, compingamus illud tabulis cedrinis, i. e., vestibus splendidissimis, atque muliebri cultu ejus decorum elegantiamque promoveamus.*

Hænor pater Sichem, et ipse per se Sichem nuptias Dinæ filię à Jacob parente postularunt (Gen. 34, 1), et Samson visæ à se mulieris in Thamnata, genere Philistinorum, specie captus, ejus nuptias optare se patri suo significavit. His auditis, parentes et ipse Samson ejus puellæ parentes eâ de re rogârunt, pactaque nuptialia sancita sunt. Nuptiæ tamen diù progreßæ; cùm enim Samson ad sponsam sese conferret, leonis à se extincti, cùm primò Thamnata iret, cadaver solum jam offendit, et in nuda ossium compage apes inseclisse. Hoc exemplo doctrina Judæorum confirmatur, pacta nimirum sponsalia diutius connubium præcedere, nimirum sex mensium vel toto anni spatio (Leo Moden. Cæremon. Judæor. cap. 5). Id tamen non

usque adeò receptum, è Tobię junioris historiâ (Tob. 7, 14, 15) docemur; quippe qui statim à postulatis nuptiis matrimonium inivit. Tradunt rabbinii, quibus tamen asserentibus vix credimus (Maimon. Halach. Ischoth. cap. 5), integrum non fuisse parentibus, si fortè ab aliquo filiarum nuptiæ postularentur, recusare, modò puella certam pubertatis ætatem, duodecim nempe annorum et unius diei, exegisset. Contrarium planè à Scripturâ insinuat credimus, in quâ semper filię in parentum potestate permittuntur, et pro arbitrio ipsorum nemine repugnante, elocantur. Idem observare licet in connubio Rebeccæ, et Saræ uxoris Tobię junioris, quæ sanè puellæ legitimam ætatem attingerant: licet etiam spectare in Thamar nuru Juda, quæ sine soceri assensu connubio jungi interdiebatur.

Pacta sponsalia sive scripto sive traditâ à sponso argenteâ aliquâ monetâ puellæ, vel saltem cohabitatione et conjugali commercio firmabantur (Selden. lib. 2, cap. 2 Uxoris Hebrææ). Hæc instrumenti formula: Tali feriâ, tali die mensis N. Anno tali à creatione mundi juxta supputationem, quâ nos utimur, etc.: et Quo tempore talis, filius talis, dixit tali puellæ, et filię talis: Sis mihi sponsa, juxta institutionem nem Mosis et Israelitarum, et dabo tibi dotem virginitatis tuæ, argentum scilicet 200 zuzorum, quæ summa competens est tibi ex ipsâ lege. Et assensum præbuit talis (puella), et ut ejus jam esset sponsa. Idèoque sponse huic et suæ promisit dotem scripto ei constituere è diebus eorum nuptialibus. Insuperque dixit: In me suscipio, atque in hæredes meos posterosque, præstare, quod in hoc libello sponsalicio continetur, etiam ex pallio, quod in luceris meis, idque sive vivam sive moriar, et Quin et suscepit in se talis (sponsus) præstanti di quod in libello hoc sponsalicio continetur onus, juxta ea quæ ex more attingunt ad alios et ejusmodi Israelitidum libellos sponsalitiis, et cetera. Testes N. N. N.: Pacta verò traditione monetæ et sine scripto firmata coram testibus agebantur; illis enim adhibitis vir puellæ nomen tradens profitebatur: *Ecce tu mihi ex hoc sponsa sis.* Oppignerationes per eamdem, leges quidem permitti docent RR. (Deut. 24, 1); à patribus verò interdici, quod matrimonium clandestinum incommoda et licentiæ ansam præstarent (vide Selden. cap. 1).

Conciliatis semel sponsalibus, mutuò virum inter et mulierem familiaritas, ad id usque interdici (Leo Moden. c. 5), non tamen licentiâ,

permitteretur. Si quid deinde vitii sponsa cum alio quàm cum sponso contraxisset, adulterii rea censebatur (Selden. lib. 2 Uxoris Hebr., cap. 1). Sunt qui oppigneratam tantum S. Josepho B. V. Mariam Jesu Christo factam credant; quæ si fortè criminis, cujus ex tumore ventris suspicionem mysterium ignaris præbebat, rea deprehensa fuisset, potuisset à viro continuò non remitti tantùm, dato repudi libello, sed et de adulterio punienda magistratibus deferri. Esto enim mutua inter sponso familiaritas permittitur, non ea tamen, quæ conjugibus post celebratas reapsè nuptias, data facultas, Ita enim Patrum edicto cautum habebatur, arctoribus conclusa finibus legis in eâ re juxta illorum interpretationem licentiâ; è re publicâ enim visum est, eâ inhibitione publicæ honestati et morum integritati consulere. Si quis fortè hujus præcepti reus damaretur, flagrorum animadversionem subibat.

Receptum erat apud Hebræos, ut sponsus solato pretio sponsam emeret, quâ de re conveniebatur inter partes, sicut etiam de cæteris nuptiarum conditionibus: de dote à viro solvendâ, de muneribus etiam parentibus, et fratris sponsæ tradendis, antequam pacta sponsalia rata haberentur. Vadem horum omnium exhibemus historiam Jacob. Convenit est primò inter ipsum et Labanum septenni de famulatu, quo ipse Jacob pro emendo sibi Rachelis conjugio serviret; totidemque insuper servit pro eadem Rachele, cùm priores nuptiæ cum Liâ pro Rachele fraude Labani conciliatæ fuissent (Gen. 29, 26). Queruntur autem ambæ conjuges de Jacob, quòd debitam sibi dotem parens usurpasset (Gen. 31, 15); quarum in eâ re querela sive Labanum injustitiæ accusant, sive minoris in filias indulgentiæ; neque enim tantquam aliena rapientem restitutionis ream peragunt. Saut filiam suam Davidi vendidit centum præputiis Philistinorum (1 Reg. 18, 25). Sichem filius Hænor Dinæ nuptias postulans hæc ad fratres puellæ dicebat: *Inveniam gratiam coram vobis, et quæcumque statueritis, dabo. Augete dotem et munera postulate, et libenter tradam quod petitis: tantum date mihi puellam hanc uxorem* (Gen. 34, 11, 12). Quindecim nummis argenti hordeique mensurâ cum dimidiâ, Osee conjugem emit (Osee 5, 2). Nec tamen propterea abstinere pater, quin pro modo conditionis suæ munere daret filię, sumptui in cultum puellæ et solemnem in domum sponsi traductionem sufficiens. Moribus receptum erat, ut munera illa 50 zuzim non

excederent. Porrò zuzim moneta erat vilissima, unico argenteo denario juxta RR. respondens, i. e. (Misna tit. Hetboth, cap. 6, vide Selden. lib. 2 Uxoris Hebr. c. 10), quartæ sili argentei partii, sive 8 solidis circiter monete nostratæ (Selden. Uxor. Heb. lib. 2).

Hæc formula instrumenti nuptialis apud Hebræos (Maimon. Halach. Jebom. Vechaliza cap. 4, apud Selden. lib. 2, cap. 10 Uxor Hebr.): Die N. mensis N. anno juxta calculum nobis in usu, etc. Ad fluvium N. N. filius N. dixit N. filię N. virgini: Sponsa sis mihi in uxorem, juxta institutum Mosis et Israelitarum. Et tuæ dotem, argentum CC. zuzorum zuzos argenti (1), qui tibi ex lege competunt; præsitur etiam tibi alimenta tua, et vestimenta tua, et quæ tibi sufficiunt, et concubium tecum juxta morem universæ terræ. Assensum item præbuit illa N. ut esset illi N. in uxorem. Voluit etiam adjecti ille illi in principalis dotis incrementum summam N. Et bona quæ attulit ipsa sponsa, æstimantur summam N. Totum autem sponso huic acceptum, in ejus possessionem transit, et illius fit potestatis, atque ut creditum ex ejusce fide pendet. Et sic nobis dixit sponso ille N.: In me recipio præstare, in me recipio præstationem totius ipsius, dotis etiam et honorum quæ secum ipsa sponsa attulerit, aut post modicum quæ acquisierit; item et dotis incrementum conditionemque qualicumque ad dotem attentionem: nec in me solum, sed etiam in hæredes meos, qui mihi successerint, et in omnem substantiam meam pretiosiorumque possessione; que meas qualescumque sub possessione; que sive nunc mihi sunt, sive in posterum fuerint, idque, sive res fuerint mobiles, sive immobiles; quæ universa digniora sunt atque hypothecæ doti jam dictæ toti, ac rebus quas secum attulit, seu postmodum acquisierit sponsa, et incremento dotis; ut exinde hæc præstentur, sive diu superstes fuero, sive postquam sint mortuus. Quod et de pallio super humeris meis dictum volo. Quin et obligatio omnium rerum, quæ superscribuntur, memoranturque implenda, non

(1) Summam conficit 50 siclorum argenti, seu 81 librum moneta nostratæ.

quæ probatio suppetat deficiat, seu pro libelli formulæ vi, sed juxta vim et effectum omnium libellorum dotalium, qui in usu apud Israelitas, et secundum id quod receperunt et ordinarunt rabbi nostri pice memorie. Et signavimus libellum, seu syngrapham hanc totalem tempore supra memorato. Resque tota fit manifesta, rata ac firma.

Cum inter partes de nuptiis contrahendis convenisset, certa in eam rem dies decreta. Quartam feriam vel sextam pro puellâ, quintam pro viduâ solent Judæi recentiores (Leo Moden. cærem. Judæor. c. 5). Precedenti ad eam rem die, sponsa ad balnea se confert, indeque strepenti bus circumvaris culinariis instrumentis, quibus de nuptiis vicinus quisque moneatur, solenni pompâ deducitur. Collatis simul quæ Seldenus, Buxtorfius, et Leo Modena in eam rem scripserunt, cum non satis illi inter se conveniant, suspicor non eundem ubique apud Judæos morem obtinuisse, sed pro variâ regione in pluribus variari. Quâ die celebrandum est matrimonium, sponsa mundo omni muliebrî ornanda, solenni pompâ et inter puellarum nuptialium cantilenas in zedem ad eam rem destinatam deducitur. Deus ipse, si fides RR. (rabbi in Talmud. Vide Buxtorf. loc. cit.) in se alienum non censuit si suis ipse veluti manibus Evam comeret, mox ad nuptias Adami producendam. Quare ornata Dei ministerio sponsa, atque splendidissimis vestibus fulgens sponso coronâ asistit. Ludebant interim angeli omnium instrumentorum concentu, primis illis nuptiis plaudentes: cum interim Deus triumphalem umbellam sub quâ nuptiæ contrahende, sufficeret. Bella rudioris crassiorisque populi commenta!

Ceremonia nuptialis plerumque in atrio, horto, vel agro, sub dio semper celebratur (Buxtorf. ibidem); aliquando tamen aula velamentis ornata in eam rem instruitur, ait Leo Modenæ, cap. 5. Deducendis autem sponis nec instrumenta musica desunt, nec triumphale velum quatuor adolescentulis sustentatum. Nigrum flammæum vultui sponse obducitur, quo in memoriam reducitur velum Rebecce, quo sibi faciem velavit, cum procedentem obviam sponsum suum Isaacum prospexit (Gen. 24): eodem velo obnubitur sponus, in memoriam, uti ferunt, eversiois templi Jerosolymitani. Dein utriusque conjugis capiti imponitur *Tald*, quadratum nempe velum, totidem floccis ad quatuor angulos ornatum; hoc autem ejus rei gratiâ prestitum docent RR. quod Ruth ad Booz dixerit: *Extende pallium tuum super fa-*

*mulam tuam, quia propinquus es; et* Ezechiel. 16, 8, ubi Deus de Israelitis, quos veluti sponsum exhibet, loquitur: *Transivi per te, et tidi te, et expandi amictum meum super te, et operui ignominiam tuam; et juravi tibi et ingressus sum pactum meum, et facta es mihi.*

Tunc rabbinus loci prefectus, sive cantor Synagoge, vel saltem propinquior consanguineus, craterem seu vas plenum vino assumens, pronuntiât prius in hæc verba benedictione: *Benedicis sis, Deus, qui creâsti marem et feminam, et matrimonium injanzisti, etc.* Sponso prius, deinde sponse degustandum populum propinat. Secundum hæc, sponus anulum digito sponse coram testibus, rabbinis plerumque, inserit, hæc simul verba pronuntians: *Ecce mihi sponsa sis ex hoc annulo, secundum institutum Moysis et Israel.* E solido auro paratum anulum, nullo adjecto gemmæ ornamento, Buxtorfius describit, docens simul, sponsum universo cœtui aureum esse illum et justi valoris approbare. Excipit deinde lectio instrumenti nuptialis, quod sponus puellæ consanguineis servandum tradit. Iterum post hæc verbum sive in vitro sive in fragilis materia vase aliquo post decantatus sex benedictiones (septem cum priori, de quâ supra, apprecandæ sunt) iterum novis conjugibus propinat, quod restat, in signum lætitiæ effuso. Abreptum autem vas sponus vi quâdam in murum sive in terram elidit, cujus contracti symbolum templi Jerosolymitani desolationem exprimit. Solet alicubi cinere ejus rei gratiâ sponsi caput inspergi. Justiores alii morelemque interpretationem ejus cæremoniæ promunt, nimirum ut symbolum aliquid mortis ejus festi lætitiâ diluat, eaque veluti imagine fragilem labilemque naturam suam in vitro expressam homines intueatur. Eò pariter spectare dicunt atra illa velamina, quibus utriusque sponsi caput obnubitur (Confer Buxtorf. et Leon. Moden. loc. cit.). Velamina illa lineæ, et omnibus phrygiis ornamentis, gemmis auro argenteoque ornata, Seldenus post RR. præscribit (Selden. Uxor. Hebr. l. 2, c. 5).

Idem Seldenus nonnulla, non abs re prostris, hic referenda, in hæc omnia observat: 1° Post contracta sponsalia, et obsignatum maritale instrumentum, integrum esse sponso sponsum in zedem deducere, atque nuptias maturare. Id tamen non sine exceptione quâdam visum permissum. 2° Si puella duodecim ætatis annum unâ die nondum excessisset, cautum sponso ne è domo patris educeret, neve matrimonium

consummaret, nisi parte et puellâ simul annuentibus; et quando etiam utriusque assensum suum prebuisset, integrum erat puellæ anni dilationem petere, quo pariter jure eadem puellâ jam puber censebatur, quippe cui uno anno matrimonium differre integrum manebat. Quaquàm si pacta sponsalia integro anno post filie pubertatem celebrarentur, tunc ad unum tantum mensem dilatio permessa. Fas etiam sponse ad implendas nuptias sponsum cogere; qui vicissim eodem jure ac sponsa, in differendo nempe matrimonio, censebatur. Si ultra concessum tempus nuptiæ protraherentur, alere suis impensis sponsum usque ad nuptias vir in pecunia tenebatur. Hæc disertè quidem nunquam in Scripturâ; quæ tamen certum aliquod tempus, intra quod sponsalia definienda essent, non obscure designat, narraos, Jacob post impletum certum tempus nuptias Rachelis à Labano exegisse (Gen. 29, 24): *Da mihi uxorem meam, quia jam tempus impletum est, ut ingrediar ad illam.*

Festis diebus et Sabbato, à sponsalibus et connubiis ineundis apud Judæos feriatum; sunt etiam qui privilegium diei festi ad præcedentem Sabbato diem et subsequentem (Selden. ibid. l. 2) prorogent: quod testimonio Leonis Modenæ repugnat, ex cujus fide selectam ad eam rem sextam feriam supra retulimus. Nulla tamen Sabbati religio morabatur nuptialia illa festa, septem dierum ad minus spatio celebrata: quemadmodum exemplis Lia (Genes. 29, 17), Saræ junioris Tobie sponse (Tob. 13, 25) et Samsonis (Judic. 14, 15) docemur. Ad eam nuptialem pompam vir sanctè adeo adigebatur, ut plures licet feminas eadem die duxisset, nihil de septem illis diebus demere permitteretur, inquit rabbi.

Annulus sponsalium, quo sibi sponus puellam oppignerabat, vetustissimam esse et ad rem conjugii pertinentem cæremoniâ pluribus autem, ejusque ritus vetustas ex altissimis repetita fontibus deducitur. Seldenus tamen recentiorum esse ex eo demonstrat, quod ejus mentio in ritualibus quidem libris Hebræorum frequens, nupiam tamen in Talmud occurat, neque de annulis connubialibus quidquam in Scripturâ; laudat etiam opus Leonis Modenæ de cæremoniis judaicis, in quo desisse jam annulos in connubiis Hebræorum disertis verbis asserit. Editio itala habet plerumque eum morem neglectum; sed versio Gallica D. Simonis impositum digito sponse à sponso coram duobus testibus anulum legit. Addit Seldenus editio, s. v. l. 2, c. 5.

denus, præscriptam in ritualibus eam cæremoniâ loco veteris alterius jam abrogatæ, tradendi nempe sponse argenteâ aliâ vel aurâ monetâ arrhas sponsalitates. Hinc ait virum illum, qui toti cæremoniæ præest, nostrâ etiam ætate, testes rogare consuevisse, num ille, quem monstrat, annulus nummum argenteum valet; quibus affirmantibus, quisrit item, num sponsalia processerint, iisdemque annuentibus, statim sponse digito annulus inseritur. Porrò quæ de annulis nuptialibus S. Annæ, S. Joachim, S. Virginis Mariæ, S. Joseph feruntur, ad fabellas non immeritò rejicias. In cæremoniâ nuptiali Tobie junioris, Raguël sponse parens apprehensus filie sue manum intra Tobie manus reposuit, addens (Tob. 7, 15): *Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob vobiscum sit, et ipse conjugat vos, impleatque benedictionem suam in vobis.*

Coronâ nuptialis veteris ritus, qui petita è Scripturâ exempla non desunt. Docent Judæi (Selden. Uxor. Heb. lib. 2, c. 13, ex Gemar. et aliis) coronas olim in cæremoniâ nuptiali utrumque conjugem gestasse: sponus quidem auream vel argenteam, vel rosas seu myrtho, vel olive ramo contextam; sponsa vero auream, vel argenteam. Utriusque formæ coronas Mater dæorum, turritas nempe referebat. Ejus rei usum interdictum fuisse aiunt post Jerosolymæ à Romanis eversioem. De coronâ sponse nihil in Scripturâ, nisi fortè eò spectare credatur illud Cant. 4, 8: *Veni de Libano, veni, coronaberis.* Sed nihil de coronâ in Hebræo. De sponsi verò coronâ hæc apud Isaiam 61, 10: *Gaudens gaudebo in Domino, qui induit me vestimentis salutis, et indumento justitiæ circumdedit me quasi sponsum decoratum coronâ, et quasi sponsum ornatum monilibus suis.* Sponsa in Cantic. 5, 11: *Videte, filie Sion, regem Salomonem in diadematè, quo coronavit illum mater sua in die desponsationis illius.* Tandem auctor 5 Machab. describit adolescentes sponos catenarum ponderi pro coronis nuptialibus colla subdentes.

Solent nostre ætatis Judæi super duorum conjugum, et maximè sponse, caput frumentum plenis manibus spargere, illum interim apprecantes: *Creecite et multiplicamini.* Adduntur alicubi nonnullæ argenteæ monete, quæ pauperibus colligende permittuntur. Olim verò in moribus positum fuisse tradunt rabbinorum nonnulli, ut utriusque conjugi terrâ referre cister, in quibus satum antea hordeum jam germinaret, traderentur, addit simul precatione illâ, crescerent nempe illi et augerentur, veluti frum-

mentum illud quod ceterorum frumentorum præcocissimum est. Non alibi ceremoniam illa ab hortis Adonidis, quo nomine vineæ quædam sive argenteæ ad vinearum modum contextæ erant, in quibus satæ quædam herbe (Theocrit. Idyll. 45), germinantes jam designabantur. Solebant plerumque in festis Adonidis deferri, velut indicium quoddam ceremoniæ nuptialis. Manè tamen alterius diei ejusdem nominis futus legebatur.

Illud etiam apud Hebræos singulare obtinebat, cum primùm sponsus ad umbellam, sub quâ pacta nuptialia celebranda, pervenisset, sponsa à feminis deducta ter circum sponsum gyraret, juxta illud Jeremiæ 31, 22: *Femina circumdabit virum*. Dein verò sponsus sponsum manibus tenens, semel tantùm circa umbellam dicebat (Buxtor. Synag. Jud. c. 28). Ridenda hæc quidem, nec sanè minis ineptè Jeremiæ locis ad pompam nuptialem accommodatur; id enim tantùm insinuat Propheta, futurum ut post solutam captivitatem, felicia adeò laborerent tempora, atque civium numerus adeò floresceret, ut nulla femina de querendo sibi viro atque gignendis filiis sollicitudine aliq̄ua teneretur.

Adjectum sponso paranympum, quem Jesus Christus *amicum sponsi* (Joan. 3, 29) appellat, ex Evangelio intelligimus. Juvenum etiam nobilibus comitatus selectus in obsequium illius solemnium nuptiarum diè. Nec simili pompâ sponsa destituebatur. Porrò nuptiarum socii spectantur in historiâ Samsonis (Judic. 14, 11), et in Cantico Canticorum (Cant. 5, 1 et 8, 15), amice sponsæ non semel etiam in eodem Cantico libro parent (Cant. 1, 4, et 2, 7, et 5, 5, 11, et 5, 8, 16, et 8, 4), sicut et in Ps. 44, 8, 14, 15. Docent rabbini, obtinuisse jam, ut in Judæa, non verò in Galilæa, duo paranympii, sponso nempe et sponsæ singuli singulis assignati, ab eorum lateribus nunquam, neque cum ambo cubarent in lecto, abscederent, omnis nimirum doli inter utrumque conjugem circa lineum pannum sanguine tinctum, et virginitatis indicia de quibus Moyses (Deut. 22, 15), præcavendi gratiâ. Hæc non agrè minis crederentur, quam præstarentur impudenter (1). Malerim potius, quod etiam ex Cantico Canticorum lectione non

(1) August. lib. 14, cap. 10, de Civit. Dei: Reputom ab arbitris cubile conquirit, omnesque familiares atque ipsos etiam paranympbos, et quoscumque ingredi quælibet necessitudo permiserat, ante mitti foras, quam vel blandiri conjux conjugii incipiat.

obscurè insinatur, novos conjuges toto septimana nuptialis spatio nunquam nisi furtim et obscurè noctis favore, sive dubio adhuc diluculi albore convenisse, quod etiam in Prolegomeno ad eum librum fusiis à nobis demonstratum est. Porrò rabbinorum commentum illud confusâ solùm de circumspeditione ejus populi erga feminas ideâ satis superque arguitur. Nihil tale sive ex lectione Cantici, sive in nuptiis Jacob cum Liâ, junioris Tobie cum Sarâ, Samsonis, etc., occurrit.

In solemnitate nuptiarum puella semper novæ nuptæ comites adstant, neque mixtum pueri puellæque confusi unquam spectantur. In Cantico Salomonis semper puella cum sponsâ tripudians, sive ante claustrum illius agunt execubias. Et cum summo mane sponsus surgens abscedit, nunquam puellis nuptialibus, ut sedulo obsequiis dilectæ suæ invigilet, donec ipsa è lectulo surgat, non commendat (Cant. 2, 7, et 5, 5 et 8, 8). Sponsus ipse furtim sese amicis subducit, quo sponsum noctu conveniat (Cant. 5, 4): rogatur autem ab illâ ut submissè loquatur, auscultari enim à pueris nuptialibus observariquæ animadvertit (Cant. 8, 15). Nuptiam hæc sponsæ paranympus, neque etiam sponsi, qui ab ejus latere ne cubantis quidem recedat. Paranympii munus habentur ut nuptias sponsi loco curaret. Cùm enim sponsus rerum gerendarum multitudine occuparetur, nec per se omnia præstare posset, ejus vicibus et secundus ab illo fungebatur paranympus. *Qui habet sponsam, sponsus est* (ait S. Joannes de Christo); *amicus autem sponsi, qui stat, et audit eum, gaudet gaudet propter vocem sponsi* (Joan. 3, 29). Porrò vir sanctus paranympum se Jesu Christi præstatat. Apud Græcos præ foribus nuptialis cubiculi paranympus vigilabat (Jul. Pollux), convivium atque nuptialem omnem pompam curans. Sunt qui credant *architriclinum* illum apud S. Joannem ipsum fuisse inter sponsi amicos, cui tota convivii instruendi, præstandique ne quid deesset, cura commissa. Id maxime spectatur in convivio in Canâ, cui Jesus Christus, ejusque Mater adfuerunt (Joan. 2, 9). S. Gaudensius Brixianus, tract. 9 ex Veterum traditione receptum dicit, hunc convivii prefectum è Sacerdotum numero selectum, qui morem diæscipline legitime gubernaret, curamque pudoris ageret conjugalis; simul et conviviorum apparatus, ministros atque ordinem dispenseret.)

Idem vicissim et à puellis nuptialibus cum

sponsâ præstitum. Illam honoris gratiâ deducebant, mulieris cultu ornabant, aderant custodes, et totius festi atque ludorum consortes: non enim moribus ejus regionis permittebatur, ut mixtum cum juvenibus puellæ eidem mense accumberent. Ad easdem puellas etiam attinebat epithalamium sive cantilenam sponsæ congruam cantare, ipsâ sponsalitiæ solemnitate nocte, quâ sollicitè fausta novis nuptis apprecarentur. Hinc Psal. 44, in quo epithalamium instruitur, hæc præ se fert inscriptionem: *Canticum gaudii pro dilecto*. Porrò duo erant epithalamii carminis genera (Scholiast. in Theocrit. Idyll. 48), *matutinum* nempe et *vesperinum*. Illud exstantis à somno, hoc consopientis conjugibus. Sponsus faciliè puellas nuptiales rogat, ne matutinum epithalamium cantent, illis verbis: *Ne evigilare faciatis dilectum, donec ipsa velit*. Vesperinum nomen Pindarus, Pyth. Od. 3, utriusque Theocritus, Idyll. 48.

Cùm sponsus conjugem in suas sedes reduceret, quod plerumque totâ septimanâ nuptiarum in domo sponsæ actâ diferebatur, amice sponsæ illam comitabantur, omnibus interim festivis cantilenis resonantibus. Ad eam pompam nocturnam potissimum tempus destinatum; ex quo intelligimus, cur virgines illæ, quæ in occursum conjugum festinabant, cùm fortè post datam somno brevem aliquam quietem ad strepitum venientis sponsæ evigilantes, quæ lampades suas habebant instructas, à sponsis deductæ sint: quæ verò emendo sibi oleo divertent, pompâ jam procedente et in domum sponsæ receptâ, à convivio nuptiali excludere sint. (Matth. 23, 1, etc.)

Similis ceremoniæ descriptio in libris Machabeorum (1 Mach. 9, 59, et Joseph. lib. 15, cap. 4 Antiq.) legitur. Cùm filii Jannî sollemnes nuptias in Madabâ urbe transjordanâ celebrassent, quod ex illis quidam filium principis Chanaïæ duxisset, et sponsa in ædes viri solemnium pompâ deduceretur, instrepentibus circum omnibus, quâ musicorum instrumentorum, quâ armorum fragore, supervenientes in nuptialem illum comitatum Machabeæ, omnes dissiparunt. Facile autem credimus Jesum Christum illâ decem virginum parabola ad eas potius spectasse virgines, quæ venient in ædes viri sponsæ occurrerunt, non verò ad eas, quæ totâ septimanâ nuptiali sponsum illum comitate sunt. Ceteram illud etiam animadvertendum est, occasione hujus pompæ nuptialis filiorum Jannî et Samsonis, qui Philistæam conjugem duxit, illos Hebræorum in nuptiis mores apud fuiti-

nas etiam gentes obtinuisse; nec satis alibi orientalis nostræ ætatis consuetudo, quemadmodum, in eâ re, sic etiam in aliis pluribus, de quibus Scriptura.

Observatum est in superioribus consuevis Judeos ante ceremonias nuptiales et deductos utrosque conjuges sub nuptiali umbellâ, et syngrapham maritalem signare, et de cæteris omnibus, sicut etiam de dote solvenda, convenire. spectavimus etiam post factam ejus syngraphæ lectionem, et post datam puellæ annulum, scripturam illam parentum sponsæ manibus traditam. Alia tamen cæceronia in nuptiis Tobie servata. Raguël enim post præstitum convivio assensum, continuò manus puellæ suæ sponsi manibus jungit, collatque benedictione, connubium absolutum est. Post hæc omnia, scripta syngrapha maritalis, quam adscriptione suâ testes firmarunt. Nihil tale apud Judæos recentiores, ejus regionis incolas, quantum apud illos nuptiæ junioris Tobie et cæceroniæ ejusdem conjugii tanquam exemplar felicissimum et optime instituti connubii habeantur.

Singule gaudii significationes, quibus totius nuptialis ceremoniæ pompa eo septimana spatio plebeubar, recenseri vix possent. Illud sanè constat, nihil oblectamentorum prætermissum à Judæis, nisi quod lege interdiceretur. Enigma è Samsonæ adolescentibus nuptialibus propositum, tum et illi singulare est (Judic. 14, 12), cùm genium illius populi de acumine ingenii presumentis demonstrat ex quo pariter intelligimus junctas convivis cæterisque corporis blandimentis etiam ingenii delicias. Inambulationes in hortis et vineis observata in Cantico Canticorum (Cant. 7, 12, et 2, 11, 12): *Manè surgamus ad vineas*; venationes (Cant. 2, 15): *Capite nobis vulpes parvulus, quæ demoluntur vineas*; comensationes (Cant. 5, 1): *Comedite, amici, et inebriamini, charissimi*. Mutuis se munusculis in hortis provocabant sponsi (Cant. 5, 1): *Veniit dilectus meus in hortum suum, et comedat fructum pomorum suorum. Veni in hortum meum, soror mea sponsa, messu myrrham meam cum aromatibus meis; comedi favum cum melle meo. Bibi vinum meum cum lacte meo*. Et alibi introductam se narrat sponsa in cellaria dilecti sui, ubi vina et fructus servalantur (Cant. 2, 45). Porrò è mente excutienda sunt ea, quibus de magnificentia nostri temporis occupantur, præjudicia, et è magnarum urbium superbâ excedendum, quo de innocentibus illis oblectamentis judicium feratur.

Sponsus clam nocte intempestā sponsam convenit, et summo mane recedit; sponsa vicissim in tenebris errabunda dilectum querit, incidit sæpe in milites urbis custodes, qui ei insulant; non rarò filias Jerusalem offendit. Earum vicissitudinum blanda narratio, et eventus pars erat oblectamentorum, quibus tota septimana nuptialis agebatur. Quod tamen hebdomada spatium nullā adeò sive lege, sive consuetudine definebatur, quin parentum arbitrio prorogari non posset. Ragucl ad duas septimanas nuptias filie cum juniori Tobit̄ produxit (Tob. 8, 23); quantum pro viduæ nuptiis qualis Sara habebatur, tres tantum dies præscripte à rabbinis leges assignant.

Tradit Buxtorfius, Synag. cap. 18, post celebratam sub umbellâ ceremoniam nuptialem, totum necessariorum comitatum unā cum sponsis in domum sese recipere, ac mensam continuò instrui. Tum sponsus quantā potest venustate prolixam satis benedictionem hebraicam cantat, eaq̄e demum absolutā, primò cocta pullastra, et crudum ovum mensæ apponitur. Hujus pullastræ parte aliquā modicâ sponsa donatur à sponso, statimque veluti dato signo ceteri convivæ omnes in reliquam illam dapem sese immittunt, disjiciunt, lacerantque, ac sibi invicem illam diripientes effusèque ridentes, ovum mutuo in ora projiciunt. Post convivium, inter omnes dignissimus, manu sponsum apprehendit; ejusdem vicissim manum secundus tenet, illius tertius, omnesque simul conseris inter se manibus, choream instruant in rotundum. Surgunt pariter femine ad saltandum, seorsum tamen à viris, honestissimâ manum sponse tenentē. Porrò hujus choreæ genus vetustissimâ traditione apud Judæos obtinet; *Chorem præcepti* appellant, quòd Dei præcepto pro conjugali festo injunctam ferant.

Deductio sponse in thalamum, rabbinorum judicio (Maimonid. Halach ischoth; et sculltham aruch, et alii apud Selden. Uxor. Hebr. 1. 2, c. 15), ipsum est ultimum conjugii complementum; neque enim absolvitur sine benedictione, ceterisve ante illam ceremoniis. Porrò ante solemnem illam deductionem puella nomen *Ischa gemarrah*, nempe sponse perfectæ non obtinet; eà verò accedente, etiamsi consummari matrimonium, occurrente aliquo impedimento, non contigerit, ut si fortè puella mensuris laboraverit, quo tempore ad illam accedere viro capitale erat (Levit. 20, 18), ni-

hilò tamen seciùs conjux habebatur. Si quid igitur simile contigerit, deductio mera est ceremonia, que deinde post receptam ab eadem feminâ vasuetudinem iteratur. Ante deductionem illam benedictio in hæc verba coram decem viris maturâ etate, non mancipiis, recitatur.

« Benedictus sis, Domine Deus noster, Rex mundi, qui universa creasti in universo in gloriam tuam. Benedictus sis, Domine Deus noster, Rex mundi, Creator hominis. Benedictus sis Domine Deus noster, qui creavit hominem ad similitudinem suam et ad similitudinem imaginis archetypi sui, et præparavit ei ex seipso structuram seu ædificium usque in seculum. Benedictus sis, Domine Deus noster, Creator hominis. Gaudendo gaudere debet, et exultabit sterilis, colligendo liberos suos in sinum suum in lætitiâ. Benedictus sis, Domine Deus noster, quia lætari facis Sion in liberis suis; lætando lætari fac hoc per amatum, juxta lætitiâ in te donatum creature tuæ in horto Eden ab antiquo. Benedictus sis, Domine Deus noster, qui lætari facis sponsum et sponsam. Benedictus sis, Domine Deus noster, qui creavisti gaudium et lætitiâ in sponso et sponsa, exultationem, cantum, hilaritatem, jobilationem, amorem, fraternitatem, pacem et amicitiam. Confestim, Domine Deus noster, audiatur in uribus Judææ, et in plateis Jerusalem vox gaudii et lætitiæ, vox sponsi et sponsæ, vox affectûs mutui sponsonum et ex thalamo suo, et pueri è choro modulationis suæ. Benedictus sis, Domine Deus noster, qui lætari facis sponsum cum sponsâ. » (Vide Talmud. ad tit. Ceturboth. Vide et Selden. Uxor. Hebr. lib. 2, cap. 12.)

Eas benedictiones summopere observant rabbinii, quippe quas ab Esdrâ derivatas credunt (Maimon Halach Kiriath Schemai, cap. 4, § 7). Sed recentiores suspicantur. Porrò verba illa: *Confestim, Domine Deus noster, audiatur in uribus Judææ et in plateis Jerusalem vox gaudii et lætitiæ, vox sponsi et sponsæ*, satis designant recentiore esse formulam eversione Jerusalem et Judæorum omnium dispersione. Vetustiores planè benedictionum formulas exhibet Scriptura, in eâ quâ fratres Rebecæ sorori imprecari sunt, cum ad sponsum Isaacum iret: *Soror nostra es, crescas in mille millia, et possideat semen tuum portas inimicorum suorum* (Gen. 24). Cum Ruth Booz nupsit, omnes, qui ante fores urbis fortè aderant, illa nova nupte (Ruth 4, 11) faustè acclamârunt: *Faciat Do-*

minus hanc mulierem, quæ ingreditur in domum tuam, sicut Rachel et Lia, quæ edificaverunt domum Israel (perpetuâ nempe filiorum serie), ut sit exemplum virtutis in Ephratâ (œconomice

nempe maritalisque virtutis), et habeat celebre nomen in Bethlehem, factique domus tua sicut Phares, quem Thamar peperit Judæ, de semine quoque tibi dederit Dominus de hæc puellâ, etc.

## DE MULIERE HEBRÆA

### ET DE CONNUBIIS APUD JUDÆOS RECENTIORES (1).

I. In Thalmud matrimonium habetur ut officium lege præscriptum et in hoc versiculo Genesis inclusum: *Procreate et multiplicamini*. Qui præceptum negligit procreationis et multiplicationis, homicidium admittit, et in causâ est cura Deus Israel derelinquat. Etas optima est circa tredecim annos, bona etas circa duodeviginti.

« Qui viginti annis natus uxorem ducere non vult, iustitiæ ad hoc cogendus est. »

Minor severitas adhibetur erga illos qui studio legis incumbunt. Cohabitatio præscribitur donec pueri ad minimum duo nati fuerint; postea manet ad libitum; minutissima addit Thalmud, que nobis referre non licet, de initio conjugum commercio; juxta hunc codicem, stimulus omnis una est ex illis abominationibus que diluvium super terram adduxerunt; quidquid verò ad familiam minuendam tendit, homicidio assimilatur. Viro ducere licet tot uxores quot potest nutrire; æquum est tamen uxores quatuor tantum ducere ut cuique per mensam saltem debitum reddatur.

« In locis ubi consuetudo viget unius tantum ducende uxoris, præter suam non licet aliam ducere uxorem. Rabbi Gerson anathema profert adversus illic qui, uxorem hæbens, aliam adhuc ducit, præter casum leviratû, et sponse. »

Ille Rabbi Gerson natus Metis in Galliâ, cognomine *Lumen exilii*, statutorum illustris auctor, defunctus anno 1070, primus est qui Judæis Occidentis polygamiam expressè prohibuerit; illius autem statuta non universè admissa fuerunt, ipsunque tempus prohibitio-

nis sub anathematis pœnâ desit ex anno 1530 vulgaris æræ. Lex igitur civilis tantum Judæis polygamiam prohibet, haud secus ac divortium, etsi nonnunquam Thalmudicâ lege præscribitur, videlicet cum improbam agendi rationem præ se fert uxor, vel cum sterilis per decem annos perstat, etc.

II. Præcipit Thalmud ut non ducatur mulier aliquod vitium habens:

« Qui mendosam uxorem ducit, difformes habebit liberos. »

De mente perinde ac de corpore hoc intelligendum est. Invitâ hæc interdictio, apud Judæos et præsertim in divitiis familiis pecunia præcipuum est incitamentum illorum conubiorum. Sæpissimè patrantur ille transactiones per quosdam mediatores (1), nomine Schadchanim notos, è voce chaldaicâ שׂוֹמֵר *rami interteti*. Cum verò mediatori debita merces pro ratâ parte dotium exsolvatur, illorum curatorum interest variarum urbium et regionum familias locupletissimas conjungere. Ita divites familie septentrionalis Galliæ conjugia ineunt nonnunquam cum australi regione, sæpissimè interteti. Cum verò mediatori debita merces cum Germaniâ, rarò in aliis regionibus; familie Galliæ meridionalis cum familiis Italiæ septentrionalis, et confinibus Asiæ et Africa affinitatem jungunt. Cum inter seipsos tantum uxores querant, Judæi coguntur procul et foras inquirere congruas affinitates; in his conjugii statum ex improviso factis et suppeditatis, sæpè reperitur domestica felicitas; quod quidem eximie mulierum Judæarum agendi rationi assignandum est; virtutem in illarum mentibus à teneris deligit religio puritana, ab omni intemperantiâ abhorrens, que adulterium flagitium infame existimat, imò scelus gravissimum, quod nullus prætex-

(1) Auctore D. Munck, in Bibliis Caben, t. 5, p. 49. Brevis hujus notitiæ redactorem Judæum esse meminere lectores, precamur.

(1) Apud Græcos, proxenetæ.

tus, amoris impetus nullus obtegere potest: facinus minime ignoscendum aut excusandum, et cui semper imminet fūdina Dei, usque ad quartam generationem castigantis iniquitates. Vis religiosa suam etiam sortita est effectum. Timendum igitur ne religiosi cultus progrediens imminuit, quæ cultum nunc exiticum et à moribus Europæis discrepantem prosequitur, tandem puritatem hanc immutat, haud secus ac illam cogitationis et actionis castitatem quæ Judæorum familiæ diu floruerunt.

III. Sponsalium status vulgò conjugii statum antecedit. Conveniunt parentes et de conditionibus contendunt. Cùm pacta statuta sunt, paratur contractus quem scripto tradit regionis scriba. Semper reprimunt retractationis pena casu disjunctionis, et vulgò pollicentur parentes novos conjuges per aliquid tempus in domo patriæ alendos; sponso nomen *Hatan* (חתן) et sponse nomen *Calah* (כלה) indicitur. Sponsalia nonnullos menses, imò annos aliquando durant. Hæc mixta conditio, cùm niuisculum protendit, maximam familiaritatem permittit juvenibus, et non rara incommoda gignit. Mos est sponso et etiam illorum parentes mutuo sibi munera largiri.

IV. Conjugium propriè dictum nominatur *אשׁוּרָה* possessionis sumptio; et factum quo probatur, *Kidouschin* (קידושין) nominatur, vel *sancta*; jam diximus matrimonium esse in Judo codice factum merè civile. Tres sunt modi uxoris acquirenda: 1<sup>o</sup> emptione; 2<sup>o</sup> cohabitatione; 3<sup>o</sup> contractu. Pecuniam (*parate* æquivalentem) vir dare debet, cum muliere cohabitare coram testibus, et hæc verba sacra proferre: *Hoc mihi nunc dicaris*; vel hanc formulam inscribit papyri fragmento quod puellæ dat coram testibus, sique sit illius uxor. Vox hebraica, quam, melioris defectu, verbo *dicari* tradidimus, factum propriè significat quo res à communi dominio retrahitur ut unico possessori tribuatur. Mulleris verò consensus et donorum saltem testium semper est præhabendus: « Sua tantum voluntate mulier dicatur, coacta non dicatur. » Usus invaluit dicendi hæc verba sacra sub umbellâ fimbriatâ; hoc præcipuum est factum post quod divorcio tantum duo sponsi disjungi possunt. Deinde ad domum nupte divertitur, et hic proferuntur, vulgò canendo, benedictiones septem ceremoniæ congruentes: hoc est quod rituale nominat *sponsorum benedictiones*. Illas infra dabimus.

Ex præcedentibus dictis videre est actum civilem, qualis sit coram ministro publico (le maire), præcipuum constitutere factum et utramque partem adstringere juxta codicem antiquum Thalmudis. Non obligatorie sunt aliæ ceremoniæ, sed non idèo inutilis. Semper utile est benedictionem cœli in factum vite socialis gravissimum invocare.

Hymenæi celebrationem comitantur lætitie significationes processionibus, epulis, choreis, ceremoniis præsertim constantes, quæ etiam reperiuntur in festis nuptialibus veterum recentiumque Græcorum, quorum imitationes esse videntur festa Judæorum. Ast nobis sufficit usus narrare antiqui Consistorii Metensis, adhuc fermè cunctos subsistentes. Diebus octo ante diem conductum ad conjugium, in domo quisque paternâ sponsus et sponsa includuntur, nec possunt exire, probabiliter ad firmendam hæc separatione conjunctionis cupiditatem, et præsertim ad repellendum effectus *aspectus funesti* (עין, עין), maleficia instaura illis qui felicitate modo frui sunt. Socia puellam invisiunt, ut recessus tedium pellant, et simul cum illâ variis ludis indulgent, scilicet inter alios ludo dicto *astragalorum*. Singulari similitudine ludus ille in idioma tætonico Judæorum Messinorum sub nomine *strolgues* indicatur, apertè derivatè et græcè denominatione (*astragalion*). Sponsa sic primò introducitur à suâ matre aliusque matronis in aquæ vive balneum, quo mundari debet omnis nupta mulier ad finem utriusque periodici redditus; quamdiu durat hiæc status, et ante illam ablutioem, non solum à lecto nuptiali exulat sponsus, sed uxorem tangere ne digito quidem illi fas est, in verbi severo litteralique sensu. Per hæc detentionis hebdomadem festi sunt apparatus; parentes designant paranympbos, scilicet qui debent sponso comitari, viros sponso, et mulieres sponse; appetuntur hiæc honores et in familiis occasiones discordiæ sæpè sunt. Prædiè solempnis diei, sub vesperum, invitorum agmen musica antecessum in luce tædarum divertitur ad puellæ domum, et super pelvi argenteâ sponsi futuri munera illi deferit; hæc est vespera *sablanoth* (סבלנת), munera; epulis in domo conjugis utriusque paratis terminatur. Puella vinculo cingitur argenteo quod sponsus nocte postere diei solvere debet. Postera die ante proces matutinas ad domum sponsi divertitur agmen; hic ingentia ex argento vasa apparent plena tritici quod fecunditatem signi-

ficat. Quisque ex illo tritico manipulum sumit, cur hoc fiat mox videbimus. Organis præcæmibus, comitatus agmine, duos inter paranympbos incensens ducitur sponsus in synagogæ peristylum; eodem cum apparatu hæc sponsa adducitur et juxta sponsum sedet; utriusque velo obteguntur, nec loqui nec etiam sese aspicerere debent; si inter illos separatio quædam animadvortitur, conjugium non patrandum esse præsumitur; quod presentium maligna dicta provocant. Hoc temporis puncto, assistentes injiciunt in conjuges tritici manipulos et clamant, *prou ourou* (פרוּ הַרְבּוּ), *multiplicamini et crescite*; dein puella domum suam reducit, diem in synagogâ perstat sponsus. Hæc dies omnibus lætibus gravis est et sæt lugubris heroidi festi: suis enim funebribus vestimentis induitur et quædam mitrâ tegitur altissimâ paleolis vitisque aureis effulgente, unde nomen *chapele klenke*, derivatum è Gallicè *chapeau à clinquant*, et perinde ac sponsus arcto jejunio adstringitur. Circa decimam vel undecimam horam, solemniter ducitur in cubiculum synagogæ confine. Illam invadunt matronæ, erines dolenti radunt inclementer, et replicant illos ita ut à nemine videri possint; Judæa enim mulier post iuratum matrimonium alieno crines ostendere non debet. Ad avocandum ab hoc facto tristitia signum, illic adest scriba qui altâ voce legit et inscribit numerosa munera juvenibus conjugibus data ab amicis et parentibus ad gradum usque remotissimum. Vix ad parentes redit sponsa, cum utrimò occupatur et in aulam synagogæ ducitur sub umbellâ solempni de quo supra facta est mentio. Item de sponso. Inter eundem ante illos moduli hiæc ceremoniæ dictati exprimentur, et scripti rhythmò tam elegiaco, tam scibili, ut indicare planè possint mox supplicio plectendos. Umbellâ protectus verba sacra sponso profert: *Mihi hoc dicaris*, et ex tunc sponsi conjuges sunt. Auferunt umbellâ, sponsus in altum jacti lagenam vini plenam, quæ frangitur lumi; hæc præscribitur in magnis lætitis ad illas parumper temperandas parvo incommodo, cùm illis plenibus indulgere non liceat, ex quo cecidit Jerusalem. Finitæ ceremoniæ, agmina duo miscentur, conjugesque reducuntur domum uxoris. Novi conjuges jentaculum sumunt, et coram illis pronuntiantur septem benedictiones; choreis, epulis, ludis variis reliqua dies datur. Sub vesperum clam effugiunt conjuges ad thalamum. Ubi consummatum est matrimonium, vir citò

secubare debet, ne impura facta sit uxor. Hanc de hæc circumstantiâ mater vel cognata certiorum facit. Dies septem sequentes lætitia adhibe dicantur, sunt prandia ad quæ multi invitentur. Nonnunquam impense satis graves sunt, ut dotis partem absument; stipulationum expressarum in contractu nuptiali necessitatem imponunt; hæc erant patrum nostrorum gaudia quorum memoria in corde senum viget adhuc; superstitionis verò dogmata, idiomata, traditiones, mores, omnia evanescent et lænta luctatione moriuntur, sicut quæcumque diu existant; cum natione Gallicâ coalescentes posteris nostri, Judæorum patrum obliviscuntur, haud aliter ac Normannorum è memoriâ excidisse homines septentrionis quorum posteri sunt.

#### DE MULIERIBUS PROHIBITIS.

Duo genera prohibitionum conjugialium Thalmud distinguit; aliæ dicuntur *legales*, id est, in lege Moysi incluse; aliæ dicuntur *magistralæ*, et rabbinicæ, quæ ex rabbinorum decretis constant. En illas, et alias.

1<sup>o</sup> *Prohibitiones legales*.—1<sup>o</sup> Mater; 2<sup>o</sup> uxor patris; 3<sup>o</sup> uxor fratris patris; pater et avunculi eodem patre orti; 4<sup>o</sup> soror, sive paternâ, sive maternâ; 5<sup>o</sup> filia; 6<sup>o</sup> neptis; 7<sup>o</sup> filia et neptis suæ uxoris; 8<sup>o</sup> mater et avâ suæ uxoris; 9<sup>o</sup> soror patris vel matris, soror eodem patre vel eadem matre orta; 10<sup>o</sup> uxor sui filii; 11<sup>o</sup> uxor sui fratris, sive paterni, sive materni; 12<sup>o</sup> soror suæ uxoris (uxore vivente).

2<sup>o</sup> *Prohibitiones Rabbinicæ*.—1<sup>o</sup> Linea ascendens maternâ; 2<sup>o</sup> mater patris suæ matris; altitius prohibitio non ascendit; 3<sup>o</sup> mater sui patris et omnis majorum series; 4<sup>o</sup> mater patris sui patris; 5<sup>o</sup> uxor patris sui patris et omnis majorum series sui patris; ita ut, inquit Thalmud, prohibeatur uxor Jacobi patriarchæ; 6<sup>o</sup> uxor patris suæ matris; altius non ascendit; 7<sup>o</sup> uxor fratris sui patris, patris et avunculi eodem matre ortorum; 8<sup>o</sup> uxor fratris matris, matris et avunculi ortorum vel eodem patre, vel eadem matre; 9<sup>o</sup> suæ proneptides sine intermissione; 10<sup>o</sup> suæ proneptides sub uxore orta; 11<sup>o</sup> suæ mulieris avâ omni gradu; 12<sup>o</sup> uxor filii sui filii sine intermissione, ita ut nullam Judæam puellam uxorem ducere Jacob possit; 13<sup>o</sup> uxor filii suæ filie. Hæc stat prohibito.

*Permittuntur*.—1<sup>o</sup> Filia uxoris sui patris; 2<sup>o</sup> filia avunculi, sive paterni, sive materni; 3<sup>o</sup> neptis; 4<sup>o</sup> uxor fratris avi paterni; 5<sup>o</sup> uxor sui

viriri. Conjugia pacta cum mulieribus *legaliter* prohibitis jure nulla sunt; et cum mulieribus *rabbinicè* prohibitis divortium necessarium est.

VII. Consuetudo viguit non celebrandi conjugia die Veneris, in fine mensis, nec feriato die. Dies maximè virgini propitius est Mercurii dies; et vidue, Jovis dies initio mensis. Hæc sunt consilia et non præscriptiones, præter quod ad dies feriatos spectat.

VIII. Sponsum et sponsam hilarare officium est, necnon saltare coram eis, sponsamque pulchram ac sapientem dicere, sicut pulchra non sit.

## BENEDICTIONES NUPCIALES.

1. A. Benedictus sit Æternus, Deus noster, rex orbis universi qui fructum vineæ creavit.

2. Benedictus sit Æternus, Deus noster, rex orbis universi, qui nos præceptis suis sanctificavit, qui nobis mandavit quod spectat ad consanguineas prohibiciones, qui sponsas alienas nobis interdixit, et nobis permisit illas quas duximus per *houpa* (umbellam) et *kidouschine* (consecrationem). Benedictus sis, Æterne, qui populum tuum sanctificas per *houpa* et *kidouschine*.

Degustant sponsus ac sponsa vinum quod eis in poculo rabbi porrigit; deinde sponsus dicit ad sponsam: « Mihi diceris hoc annulo secundo dum legem Moysis et Israel. »

Post contractas lectionem, aliquis precem n<sup>o</sup> 1 iterat.

## SEPTEM BENEDICTIONES.

1 B. Benedictus sit Æternus, Deus noster, rex orbis universi, qui omnia creavit propter gloriam suam.

2. Benedictus sit Æternus, Deus noster, rex orbis universi, qui hominem effinxit.

3. Benedictus sit Æternus, Deus noster, rex orbis universi, qui hominem ad imaginem suam effinxit, imaginem, similitudinem sui typi, et illi ex ipsa ipsius carne eodem struxit in generis perennitatem. Benedictus sit Æternus, qui hominem effinxit.

4. Lætifica, ô lætifica mulierem sterilem, et illi gaudium largiaris liberis ipsis eam circumcingendo cum lætitiâ. Benedictus sit Æternus, qui lætificat Tsionem (Sion) cum filiis suis.

5. Lætifica, lætificabis amicos dilectos, sicut initio lætificasti creaturam tuam in horto Eden. Benedictus sit Æternus, qui lætificat *Hatan* (novum conjugem) cum *Calah* (novâ uxore).

6. Benedictus sit Æternus, Deus noster, qui creavit lætitiâ et hilaritatem, *Hatan*, et *Calah*, gaudium et clamores exultationis, satisfactionem et familiaritatem, amorem et fraternitatem, pacem et concordiam; mox, Æterne, Deus noster, audiantur in urbibus Juda et in viis Jerusalem, sonus lætitiæ et hilaritatis, vox *Hatan*, et *Calah*, resonantia ludorum *Hatan* sub suis *houpa*, et juvenum in suis festis et cantibus. Benedictus sit Æternus, qui lætificat *Hatan* cum *Calah*.

Cunctas benedictiones præcedentes pronuntiant invitati à parentibus, in spatio variorum actuum quibus constat conjugii cæremonia. Consistorii Parisiensis decretum has preces recitari prohibet ab alio ac Rabbi vel uno ex ministris. Ab initio orationis 1 B. incipiunt benedictiones septem quæ inter prandendum canuntur.

7. Repelle dolorem et iram, tunc mutus audietur canens; deduc nos per semitas justitiæ, accipe benedictionem filiorum *Jeschou-roune* (Israel). Permittentibus ducibus nostris, magistris et præceptoribus, benedictus Deo nostro, in cujus domo invenitur lætitiâ, et ex cujus bonis comedimus.

Convivæ respondent:

Benedictus sit Deus noster in cujus domo lætitiâ invenitur, ex cujus bonis comedimus, et ex cujus bonitate vivimus.

Qui recitat cænx benedictionem repetit:

Benedictus sit Deus noster in domo cujus lætitiâ invenitur, ex bonis cujus comedimus, et ex cujus bonitate vivimus.

Sequuntur preces quæ post cœnam recitantur, quasque in Judæorum rituali reperire est.

## DE DIVORTIIS

## Dissertatio.

Quæcumque gentes connubia jure tantum politico spectantes perinde habuerunt ac meram et simplicem pactionem inter virum et mulierem initam, quæ corporum et honorum communionem mutuo consociarentur; ille sanè omnes, quemadmodum mutuo consensu constare illa, ita divortium, quod connubii societatem abruptam, mutuo partium recedentium consensu, sive prioris assensû revocatione ab utràque simul, vel ab unâ tantum ex partibus factâ, induci posse autumârunt. Ex hoc autem apud eas gentes illud consequeretur, ut divortium tanquam naturali jure singulis permissum, licitum sibi quæcumque demum ex causâ ducerent; quo semel facto utrique parti nova inire connubia, novisque legibus alterum sibi conjugem adesseere integrum erat. Eò tandem licentiæ venerunt, ut alteri ab altero recedere, illo etiam invito et renuente, fas esse dicerent, quod sanè citra æquitas dispendium nunquam fieri potuisse constat; nisi eâ tacitâ lege pacta connubialia sancirentur, ut sive uni tantum recedere facultas esset.

Verum, si religionis etiam partes in iis connubiis spectentur, quæ sanè religio juxta Dei consilium vinculo quodam indissolubili in unam divini humanique juris societatem conjuges jungit (1), tunc prorsus, quod matrimonium ritè contractum dissolvat, nihil est, atque divortii libertatem, qualis apud paganos obtinebat, tanquam sancitæ à Creatore legis violationem habendam esse constat.

Cùm verò legislatori tolerare divortium, ut imbecilliori populo indulgeret, visum sit, tum et Christus dimittendi conjugem, limitatam tamen et ad certas causas atque rationes, facultatem permisit, operæ pretium duximus in unam sermonis seriem ea omnia redigere, quæ de hoc argumento collegimus, veritè ne

suis locis singula distribuentes, lectorem haberemus nimis distractum, quominus totius rei seriem teneret.

Eo quidem temporis spatio, quod Mosaicam legem præcedit, rara suppetunt exempla divortii. Abraham famulam suam Agar conjugem inferioris ordinis, intolerabili mulieris fastu provocatus repudiavit, solâ sibi reservatâ Sarâ, sterili quidem, sed morigerâ conjuge (Gen. 21, 14). Onkelos, et Jerosolymitanus paraphrastes (1) quas rabbinorum turba secuta est, totam murmuris Aaronis et Mariæ in Moysen (Vide Num. 12, 4) causam tribuunt repudio, ab eodem Moysè dicto filix regis Æthiopiæ (Tharhim appellanti), de quo conjugio Josephus (Antiq. l. 2, c. 5); alii rejectam ab eâ Sephoram maluit. Nos tamen neutram credimus, neque in exemplum divortii venisse unquam Moysen in animum inducere possumus; quamvis enim Sephoram ad parentem Jethro remisisset (Exod. 4, 26), id tamen ad tempus factum est, atque veniens in castra Jethro uxorem ad virum non reduxit tantum (Exod. 1, 8, 6), sed recedens apud illum reliquit. Fateamur tamen oportet ante legem divortia tum apud alios eum apud Hebræos obtinuisse, cum Jesus Christus permisa fuisse à Moysè divortia affirmaverit, quod Judæi obfirmato essent in illa propensi animo (Matth. 19, 8), eorumque inhibitione mala pejora timeret.

Seriùs planè legislator legem de divortiiis tulit; non enim priùs rogâsse legimus, quam eum paulò ante obitum orationem in Deuteronomio relatai ad populum haberet (Deut. 24, 4). En illam: *Si acceperit homo uxorem, et non invenerit gratiam ante oculos ejus propter al-*

(1) Falso licet accensent Onkelos ac paraphrasiem hierosolymitanam. Illic error tribuendus est falsæ bibliorum Londinensium interpretationi, in quibus verbum chaldaicum *קרי*, veritè *repudiare*, dum germanus sensus est, *parare se quasi thorum*, non autem *divortio*, ut videre licet in versu sequenti textûs chaldaici *דעם חתונה ופריד* id est, *eò quod abstinisset ab usu thori*. *Repudiare* rectè redditur verbo chaldaico *פריד* vel *קרי* (Drach. Bibl. de Vence, edit. 1828-1829.)

(1) « Matrimonium est maris et femine conjunctio, individuum vite consuetudinem continens, divini humanique juris communicatio. » L. 1 de Rit. nupt., et can. 1, caus. 27, q. 2.